





Q. R. B. V.

53. 12

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Decimaseptima 1695

DE

**MODIS QUIBUS
OBLIGATIO FEUDA-
LIS SOLVITUR, ET DELI-
CTIS FEUDALIBUS.**

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

D. Maji MDC. XCV.

In Auditorio Jctorum

publice defendet

JOHANNES CASPAR HABERSTROH,

Dresdensis.

VVITTEBERGÆ, Typis GODERITSCHIANIS.

Q. R. B. N.

POSITIONUM IURIS FEUDALIS

Exercitatio Decemmassepinus

DE

MODIS QUIBUS

OBLIGATIO FEUDA-

LIS SOLVATUR ET DEL-

CTIS FEUDALIBUS

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HENRICO HORNIO

M. D. Pandectarum P. ad Collegiorum

Judiciorum, que hic sunt Adellors

D. Maji MDCXCX.

In Auditorio Statuum

publice defendit

JOHANNES CASPAR HABERSTROH,

Dresden.

WITTEBORG, Typis GODEFRIUSCHIANIS.





J. N. D. N. I. C.

Th. I.

Sublato subiecto tolli accidentia vulgata vox est. Habet & illa hic locum: quando quidem sublato vel adempto feudo obligatio Feudalis quoque solvitur, respectu sc. pristini possessoris.

II. Amittitur vero feudum interitu rei totali, puta, si chasmate, vel terræ motu perierit. *L. 15. §. 2. ff. in fine Locat. Princ. Inst. de Usufr.* Hinc si fundus in feudum datus, & villa perierit, feudum non desinit esse, nec obligatio feudalis. *L. 8. ff. quib. modis usufr. extinguitur.* Quod & idem contingit, si ædes in feudum datæ collapsæ, ubi in area feudalis qualitas manet. Nam licet hocce casu in usufructu fecus & subtilis hic quædam differentia inter servitutes personales & reales sit, §. 3. *Instit. de Usufr. L. 20. §. 2. de Servit. Prædiorum urbanorum*, cujus rationem reddit, *Struv. Exerc. XIII. Th. 55.* attamen illud huc non quadrat, cum Vasallus longè pingvius jus habeat, quam usufructuarius, partem scilicet domini, quod non in superficie solum consistit, sed etiam in solum & aream penetrat.

III. Consolidatio, qua dominium directum cum utili conjungitur, & Feudum extinguitur, variis modis contingit. [I] Præscriptione, quâ tum dominium utile ad Dominium revertere, quàm Dominium directum Vasallo adici potest. *Exerc. X. Th. 16.* [II] apertura, quæ fit vel ob delictum Vasalli, de qua re infra agemus; vel morte ejus sine successoribus feudalis, h. e. ejusmodi personis non relictis, quæ juxta legem investituræ succedere possunt. *H. F. 23. l. F. I. §. 13. Struv. C. 15. Th. 3.* Ubi tamen notandum, hunc modum consolidationis intuitu Vasalli non obtinere.

A

Nam

Nam licet quidam velint Domino sine hærede mortuo Vasallum consequi dominium directum, cum ad paria iudicentur; non tamen putamus hanc hinc locum habere illationem, cum alia ratio sit Vasalli, quam Domini. Quod enim ad Dominum redeat dominium utile, reservatio domini directi efficit, quæ hunc in finem facta: quod de Vasallo dici nequit. Nullam ergo hinc causam videmus cur fiscum, si nullus alius adsit successor, excludamus. Planè hæc de illo Domino intelligenda esse patet, qui titulo allodiali dominium directum habet: quod si enim titulo feudali illo gauderet, successore alio feudali deficiente, ad Dominum proximè superiorem procul dubio rediret.

IV. *Bartolus in L. i. §. promittitur, de Aqua quotidiana & asiva* vult proximis Vasalli cognatis jus esse petendi à Domino, ut ipsis feudum potius quàm aliis concedat. Quod si verum esset, etiam agnatis ratione feudi novi similis facultas non esset deneganda. Sed quamvis magna sit caterva stupendum illud Bartoli nomen adorantium, nobis, pace illorum, liceat dissentire; quandoquidem nec legem, nec rationem videmus adductam, atque vulgata Juris regula, quod quilibet sit rei suæ moderator & arbiter, sententiæ isti fortissimè obstet. Sanè *Julius Clarus §. Feudum, qu. 87.* testatur, se nunquam sententiam istam in foro vidisse servari, quod etiam facit *Vultejus I. F. II. n. ult.*

V. Ad mortem referunt quoque Dd. mortificationem spiritualem, quam illi suscipere dicuntur, qui Clericatus, vel Monachismi professionem faciunt, de quibus jam supra actum *Exerc. XII. Tb. 37.*

VI. Est etiam, ubi ante mortem Vasalli sine illius culpa apertura contingere potest, si scilicet ad tempus concessum Feudum disertè, vel tale feudum datum, cui conventio hæc tacitè inest; de quibus supra fuit actum, *Exerc. 4. Tb. 31.*

VII. III) Consolidatio fit refutatione, seu renunciatione Domino facta *II. F. 14. 38.* quam Vasallus Domino invito suscipere potest, modò non intempestivè, & sine dolo id faciat. Interim tamen & postea offendere non debet Dominum

minum in memoriam pristini beneficii *II. F. 38. ubi Birschius*
F. L. 1. 2. 3. ff. Rerum amotarum. Refutatio ista Domino, si
Feudum novum est, indistinctè fieri potest. *Finckelth. IX. 5.*
Si verò antiquum sit, consensu agnatorum opus est, ut sci-
licet consolidatio perpetua sit. Aliàs enim tam diu tan-
tum subsistit, quàm diu refutans ejusque descendentes su-
persunt. Si agnato refutatio fiat proximè successuro nul-
la fit consolidatio, sed tantum Feudum transit recta via
in agnatum, qui noviter investiendus haud est de Feudo,
sed tantum petit renovationem investituræ, modo non ita
refutatum omnimodo, ut de novo investiendus fuerit. *II.*
F. 49. Quod si in gratiam remotiorum, vel extranei facta
sit resignatio, ea observanda sunt, quæ de alienatione supra
dicta. Quibus casibus refutatione illa quidem fit conso-
lidatio, sed non durat diu, cum alius mox iterum de do-
minio utili investiendus sit. Vid. *Exerc. X. Th. 8. H. Pist. O. 13.*
in fine. Conf. diss. Tabor. de Refutat. Feudi.

VIII. Dominus renunciare quidem potest juri Vasal-
lagii, quod quando fit, plenum Dominium Vasallus conse-
quitur. *Ludvvell. S. I. F. C. 15. p. 315.* revocare tamen Feudum non
poterit, cum jus quæsitum auferre haud sit licitum: licet
Vasallus interim, in cujus favorem principaliter Feudum
concessum, juri suo renunciare possit.

IX. Lex 8. C. de Revoc. donat. de speciali quidem casu,
nempe de patrono libertis donante loquitur: praxis tamen
ad omnes personas illam extendit. Sed hoc apud nos il-
lud non efficit, ut existimemus Dominum, qui Feudum
dedit, ob supervenientiam liberorum illud revocare posse,
cum hæc donatio non simplex sit, sed ob causam facta. *Tira-*
quell. ad d. L. verbo donatione largitur. n. 279.

X. Melioramenta feudi in perpetuam feudi utilitatem
scilicet quæ facta jure allodiali censerentur, atque adeò feudo
finito ad allodiales hæredes pertinere supra *Exerc. precedet.*
th. fait dictum: ubi tamen illam Dd. distinctionem, an Feu-
dum ob culpam Vasalli amissum, nec ne, cum *D. Serv. XV*
17. haud probamus. Mereret hoc argumentum, ut in illud

studio majori inquireretur; sed hac vice tempus id non patitur. Defendemus interim ea, quæ habet *Dn. Stryk. cap. 22. q. 17. seqq. ad finem.*

XI. Est quædam species meliorationis, quæ confortatio, vel incorporatio dicitur; quando nempe bona allodialia separata Feudo consensu Domini junguntur, & feudalia fiunt. Ratione horum bonorum successio Feudalis eo modo fit, ac aliàs in feudo fieri solet. Vid. *diff. Nicolai Crinesii de Confortatione Feudi, & D. Lynck. de Incorporatione bonorum allodialium in Feudalia.*

XII. Quoties Dominus vel Vasallus contra officium agit directè vel indirectè, Feloniam committere dicitur, *II. F. 26. Domino.* Quæ vox unde originem trahat, incertum. Legi interim merentur conjecturæ, quas congeffit *Struv. XV. 8.* Illud potius observandum Vasallum qua talem ob feloniam secundum Jus Feudale nulla graviori pœna, quam amissione Feudi affici posse. *Clem 2. de sent. & de re judic. II. F. 23. 24. §. f. Ord. Pac. publ. R. Die Pœn der Friedbrecher. Euben. El. Feud. c. XII. §. 2.*

XIII. Uti quodlibet delictum vel committendo, vel ommittendo fieri potest, ita & de feloniam id verum est: quamvis non negemus priorem speciem in sensu excellentiori ita dici. Committitur verò feloniam, vel directò in Dominum, vel indirectò, & hoc vel in rem feudalem, vel personas conjunctas Domino, vel extraneas. Directò in Dominum committi nullum dubium est, si Vasallus Dominum occidat dolose quacunque ratione. Quo facto Feudum amittit, si maximè effugerit fortè pœnam capitalem. Quod itidem fit, si tantummodo Dominum vulneraverit, vel assilierit, vel manum tantum levaverit, quod admenationem vocant, vel insidias Domino struxerit. *I. F. 5. 17. II. F. 6. II. F. 24. §. 2. Ludovell. C. 16.* Facile autem patet dicta non eò pertinere, si Vasallus ad defensionem justam sui ipsius, vel etiam patriæ occiderit Dominum, vel hic in adulterio uxoris Vasalli deprehensus fuerit. *Ludov. d. l.* Interim hæc intellecta, volumus de Vasallo, qui non est; subditus simul nam de hoc si quæ-

quæstio sit, alia decisio intuitu Magistratus supremi locum invenit.

XIV. Verba injuriosa contra Dominium proferens Vasallus feloniam committit, ob quam Feudo privatur. *II. F. 6. 7. 24. 2.* hoc tamen non impedit, quo minus Vasallus iusta retorsione adversus Dominum, modo non sit simul Magistratus supremus, possit uti. *Harprecht ad §. 12. n. 193. Inst. de Injur.*

XV. Vasallus cum inimicis Domini amicitiam contrahens in perniciem tendentem Domini, feloniam committit, & feudo privandus est *II. F. 57.* Amicitia post inimicitiam illam contracta vix potest dolo carere, cum ille, qui inimico meo amicus fit, inimicus meus censeatur. *L. 4. §. 3. ff. de Legat. L. 28. C. de inoffic. Testam.* Atque sic Vasallus à dolo se purgare debet. Quod si vero amicitia ante inimicitiam contracta cum inimico Domini; præsumtio pro Vasallo merito militat, atque Dominus probare tenetur, in perniciem sui illam amicitiam tendere.

XVI. Pari periculo exponit se Vasallus, si Dominum accuset, vel accusatori ut advocatus adsistat, vel saltem deferat Dominum de delicto, unde grave dispendium Dominus possit sustinere; licet verè sit commissum. *II. F. 24. 33. Ad L. 51. ff. ad L. Aquiliam respondebimus.* Exceptio tamen est I) quoad crimen læsæ Majestatis *Nov. 115. c. 3. §. 3. juncto II. F. 24. Rittersb. L. 2. c. 1. q. 8.* II) si suam suorumque injuriam persequatur. *a. L. 11. ff. de Accus. L. 1. §. 43. ff. de Vi & vi armata.* III) si Vasallus ex officio, aut legis necessitate id faciat. e. g. si sit Advocatus Fisci, vel ordinarius. *Vultejus II. F. 11. num. 27.* Alias exceptiones habet *Ludov. c. 16. p. 330.* ubi tamen id notari debet, verba semper hic in factum temperanda esse, & quantum fieri possit, parcendum esse Domino, à quo Vasallus beneficium accepit. Civili actione Vasallus Jus suum adversus Dominum persequi utique potest, modò tamen abstineat à famosa actione. Atque si maximè vel ex contractu, vel ex delicto actionem suscipere oporteat, quæ estimationem lædere potest, verba tamen & hic in factum temperare,

perare, hoc est à durioribus abstinere, salvaq; reverentia Domini agere debet. *II. F. 22. De testimonio fuit actum, Diff. XV. Th. 4.*

XVII. Felonia digna privatione feudi est, si credentiam Domini manifestaverit. *I. F. 7. h. e. si secreta Domini dolose revelaverit, licet nullus eventus secutus; vel literas Domini resignaverit. Rittersb. II. 5. 2.*

XVIII. Sicuti negantis se possidere pœna est amissio possessionis, *L. fin. ff. de R. V.* ita etiam, qui rem feudalem esse negat, illa privatur. *Capit. Vasallus si feudum & C. Vasallus II. F. 26.* sive in iudicio, sive extra iudicium id fiat. *Bitschius ad d. C. Vasallus si feudum.* Intelligendum autem hoc est de dolosa & præfracta negatione: quod si enim causas habet, cur neget, nullum damnum ipsi metuendum, si maximè & in iudicio litem negativè contestatus sit, quo etiam periculo caret, si dubitanter responderit. *d. C. Vasallus. Bitschius d. l. Lynker. XV. 9. 7*

XIX. Per indirectum in Dominum felonia committitur digna feudi privatione, si Dominum cucurbitaverit *I. F. 5.* de qua voce lepidæ sunt Dd. disputationes, quæ legi possunt apud *Bitschium ad I. F. 5. p. 87. Alciatum L. VII. πρετέργων. C. V.* Significatur autem illa omne turpe factum, quod cum uxore, vel sponsa Domini perpetraverit Vasallus. E. g. si concubuerit cum illa, vel saltem concumbere se exercuerit, h. e. & tentaverit coitum, & ad actus, qui ad nixum copulæ pertinent, pervenerit: quo facto nec pœnitentia, qua ductus abstinuit à consummatione, delictum extinguit. *Vid. Ros. c. 10. cap. 28.* Imò feloniam committit, si turpiter luserit saltem cum uxore Domini, vel sponsa, e. g. si manum pectori admoverit, vel in finem miserit, vel fœmina, vel alia loca, unde turpe esse potest, contrectaverit. *L. 16. T. 54. LL. Longobard. l. 9. §. f. l. 10. ff. de Injur.* Si mittat literas amatorias vel munera, quibus sollicitet pudicitiam. *Vultej. II. F. II. 31.* vel si verbis libidinosi, impudicis pudicitiam expugnare conetur. Ceterum solam locutionem inhonestam coram uxore, vel sponsa Domini non parere privationem Feudi cum *Vultejo* putamus. *d. l.*

XX. De osculo, num ad turpem lulum pertineat, mirè disputant

sputant Dd. Lectio tamen eorum docet, aliis Italos, Hispanos & plerosque Germanorum hac parte rigidiores esse, apud quos osculum fœminæ datum, indicium temeritatis & attentatæ pudicitiaë habetur, ita ut si invitæ obtrudatur, & ipsa cum marito, & si volenti maritus injuriarum agere possit, illeque qui osculatus est, arbitrariè puniri debeat. *Men. Arbr. l. 2. c. 287. Strauch. Diss. lust. 19. aph. 14.* Si quæstio sit, utrum ob osculum uxori vel sponsæ Domini datum, Vasallus feudo privari possit, plerique affirmativam ad libidinosum, luxuriosum, & illud quod Terentius svavium, Græci Φίλημα ἐταρμὸν, καταγλώτισμα, γλωτισμὸν dicunt, restringunt. *Vult. d. l. Rittersh. II. 5. q. 5.* Multi sunt, qui in dubio ajunt osculum præsumi libidinosum: sed durum nobis id videtur. Potius existimamus arbitrio judicis incumbere, ut omnes circumstantias studiosè examinet, & deinde, quid de osculo sentiendum, judicium ferat. De Clericis Glossa præsumit *c. Can. absit 14. c. 11. q. 3.* illos semper benedictionis causa osculari. Sed jam dudum hæc sententia est rejecta. *Schrad. p. 9. 1. 2. 11. 87. Nevizan. Sylv. Nupt. l. 4. §. est nubendam 76.*

XXI. Quæ de uxore dicta Domini, ut ad concubinam applicemus, mores Germaniæ & LL. publicæ non patiuntur, quibus concubinatus illicitus habetur, *R. Pol. l. 1577. Tit. von leichtfertigen Beywohnungen.*

XXII. *C. Si quis II. F. 21.* satis innuit, feloniam hanc non nisi Domino vivente committi. Quod si tamen intra annum luctus cum vidua concubuerit, non putamus cessare crimen. *N. 39. c. 2. Struv. XV. q. 9. Ros. X. 27. 51.* quamvis non arbitremur pœnam privationis extendi posse ad casum, ubi turpiter luserit tantum cum vidua Vasallus Domini.

XXIII. Cucurbitationis species est quoque, si cum Domini filia, aut cum nepte ex filio (non ex filia) aut cum nupta cum filio, aut cum sorore Domini concubuerit. *I. F. 5. II. F. 24.* quoad sororem tamen notandum, non aliter hanc feloniam committi, quam si in domo Domini & in capillo sit, h. e. innupta, licet alibi, quam apud fratrem vivat. *Bitsch. I. F. 5. p. 87. Ros. X. 27. 35.* Illud quoque observatu dignum, his casibus concubitum

bitum, & delictum consummatum esse debere, si Vasallus feudo privandus. *Rittersh. I. 5. 94.* Sicuti non excusatur Vasallus è contrario, si cum illis, imò & uxore vel sponsa volentibus, non invitis commiserit cucurbationem. *a. L. 1. §. usq. ad deò. L. 26. ff. de Incur.* quamvis tunc pœna cesset felonix, si meretricio more vivant, idque Domino cognitum sit. *Bocer. L. V. d. 20. lb. 55.*

XXIV. De matre Domini J. Feudale filiet: putamustamen idem, ac de filia esse dicendum. *Ludovell. cap. 16. pag. 338. Rittersh. d. l. p. 106.*

XXV. Porro per indirectum peccatur in Dominum, si Vasallus Feudum sine Domini consensu alienaverit, de qua re jam supra *Ex. XV.* actum. Hoc loco illud mendum, Feudo privari Vasallum ob alienationem illicitè factam. *II. F. 55. II. F. 24. in fin.* Ex quibus locis id simul patet, nec pretium lucrari hocce casu venditorem. Quod emtori ignorantibona fide ementi restituendum est; scienti vero & mala fide ementi Fiscus aufert. *Gloss. d. II. F. 55. Bocerus class. 4. disput. 7. lb. 93.* atque adeò Dominus hoc pretium non aliter lucratur, quàm si & simul Jus Fisci habeat. *Carpz. I. 49. II. Dissentit Lu. lv. C. 17. p. 357.* Intelligenda sunt tamen hæc omnia de consummata planè alienatione. Atque hinc traditione nondum facta, & pœna alienationis cessabit. *a. L. 76. ff. de Verb. signif. L. 20. C. de Pact. Rosenth. C. 9. concl. 12.* quam & cessare putamus, si traditio per constitutum possessorem facta sit. *Struv. XIII. 9. 5.* Non tamen cessare arbitramur privationem, si traditione realiter facta recuperet possessionem. *II. F. 44.* Sunt, qui putant cessare hinc pœnam, si statim recuperatio facta fuerit. *Struv. XIII. 12.* quæ sententia licet æquitatem quandam præ se ferre videatur, veremur tamen, ne juri adversetur. *Conf. Lynk. ad d. aph. 12. n. 2.*

XXVI. Feudo sub conditione si Dominus consenserit, alienato, & sub eadem conditione tradito, non putamus privationi esse locum: cum perfecta alienatio dici nequeat, sed venditio atque traditio sub conditione facta, & totum ideò negotium in suspenso sit: qua conditione deficiente nihil actum

ctum esse censetur. Neque etiam hoc casu contemptus Do-
mini allegari potest, in cuius voluntatem actus, vis, & effi-
cacia est collata. *F. L. 10. §. 1. ff. de Conditionibus & demonstratio-
nibus.* Interim id facile largimur, clausulam illam salvo jure
Domini non sufficere. *a. L. 21. de Hered. acquirend. Rosenth. C. 9.
concl. 61. n. 6.* Operæ pretium esse putavimus subjicere, quæ in
Electoralis Sax. Mandato Feudali d. 6. Jul. 1622. edito, & ali-
quoties repetito habentur. P. P. Sondern begehren hiernit
ernstlich befehlende/ daß alle und jede unsere Lehnteute / so die von
uns zu Lehentragende Ritter-mann-Lehen/und dergleichen Güter
zuverkauffen/ zuvertauschen / oder sonst zuveräußern gemeint / re-
adhuc integra, vor endlichen Schluß und Übergabe des ver-
kaufften/ vertauschten/ oder sonst veräußerten Guths / auch vor
Auszahlung und Empfangung der Kauffgelder vor allen Dingen
bey Uns/ oder unsern Råthen und Cankley sich anmelden / die
Person mit der einer oder der ander zu contrahiren gesonnen/
nahmhafftig machen/ und unsers Bescheids/ ob uns dieselbe zum
Lehen Manne annehmlich / oder nicht erwarten : In Gegen-
theil auch die Käuffere/ und andere / so durch Tausch / oder an-
dere zuläßliche Contractus dergleichen Güter an sich zu bringen
bedacht / vor unser Erklärung und Ratification des Kauffs/
Tauschs/ oder andern Contractis sich keiner Occupation, Bes-
stellung/ und Niesung des Guths anmassen sollen/mit dieser aus-
drücklichen Verwarnung/da diesem unserm Mandat nicht nach-
gegangen/ und hierwieder gehandelt werden solte / der Verkäufer
mit Einziehung unsers Lehens/ oder nach Befindung anderer
ernster unnachlässlicher Straff belegt / Käuffer aber nicht belie-
hen werden/hierüber des ausgezahlten Geldes verlustig/oder sonst
in ebenmäßige Pœn, wie der Verkäufer gefallen seyn solle.

XXVII. Secundum Jus comūne feudale, feudo cum consen-
su Domini alienato, statim utile dominium Vasallum deserit,
illudque ad Dominum redit sine ulteriori speciali solennive
cessione : quod per investituram postea iterum emtori & no-
vo Valallo conceditur. *Ex. X. Th. VIII.* Moribus tamen Saxo-
nia, imò universæ Germaniæ ferè receptum est, ut, etiamsi
Vasallus feudum vendat & tradat, nihilominus tamdiu pro
B Va-

Vasallo & domino utili habeatur; donec jure suo disertè & solenniter cesserit, petieritque alterum investiri, bis ex die Lehn aufgelassen; nec emtor, antequam id factum investiat. *Phil. O. I. ad Dec. 61.* Id quod etiam in venditione sub hasta facta contingit: quamvis hoc casu sæpius resignatio ficta habeat locum ob contumaciam. *N. G. O. T. 40. §.* Diemeil solches aber. *Phil. de Subb. c. IV. c. 3. §. 19. seq.* Hoc posito videtur sequi, nunquam fore locum privationi feudi ob factam alienationem. Non ante resignationem, quia alienatio non est perfecta, licet traditio facta: non post; nam si facta Domino resignatione additis precibus, ut novum investiat emtorem, ille consensum præbet alienationi, res salva est, nullumque periculum imminet Vasallo: sin minus; non potest tamen queri de contemptu Dominus, nec dicere, Vasalli jus in alium esse translatum, nec aliud inde videtur sequi, quam ut actus hæcenus gesti nullius sint momenti. Hoc multos rerum forensium peritissimos adegit, ut audacter assererent, hodie in Germania pœnam privationis feudi ob alienationem locum non habere. De qua re testatur *Wes. V. I. C. 73. num. 30. H. Pistor. O. 230. n. 9.* Quod cum absolum videretur *P. Heigio*, in alia abiit, statuens Vasallum mereri privationem feudi, si tradiderit feudum, licet nondum resignatio facta. *II. 18. 14.* Verum si ponamus, uti omnino moribus certum, sine resignatione jus domini utilis non transire in alium; sequitur, illa nondum facta, non esse perfectam alienationem, si hoc, non esse delictum consummatum, atque sic pœnam privationis non posse commodè locum invenire. Sed multum tamen in hac quæstione in facto positum esse arbitramur. Quod si enim venditio & traditio sub conditione resignationis facta, vel saltem apparet, animum habuisse Vasallum petendi consensum, & resignandi feudum in manus Domini, sicque nullus contemptus adsit, non dubitamus, quæ antea dicta, ex mente *H. Pistoris*, esse admittenda; cessareque pœnam amissionis feudi. Quod si verò adeò imprudens Vasallus fuerit, ut statim omne jus feudi, quantum in ipso fuit, nulla conditione adjecta, nullo penitus reservato, in emtorem transferre voluerit

voluerit traditione reali, nec mentionem fecerit resignationis nec feudi, neque Domini consensum & resignationem requiri existimaverit, multo minus coram Domino hanc facere cogitaverit, sed rem ut allodialè planè alienaverit, vel si Domino denegante consensu, nihilominus feudum tradiderit, cum ex his actibus non possit non contemptus sequi, nulli dubitamus, quia privatio habeat locum. *Conf. Carpz. P. II. C. 49. d. 13.*

XXVIII. Sed quicquid tamen hujus sit, in mandato sane supra allegato Elect. Sax. nulla mentio fit resignationis, sed potius indistinctè ob traditionem sine Domini consensu factam, pœnæ felonix subjiuntur delinquentes. Nescio an etiam illi effugere possint pœnam, qui sub conditione tradiderunt feudum, vel occuparunt. Sanè id textus ferre non videtur. Arbitramur tamen, id non esse illicitum, ut contractus sub conditione consensu Domini, illo nondum requisito, celebretur. Planè ad Feuda alia, quam quæ à Potentissimo Electore, Agnatisque Serenissimis lineæ Albertinæ dependent, Mandatum id non pertinere, tenor ipse abundè docet.

XXIX. Si putaverit Vasallus ex causis justis, rem esse allodiam, (qua in re juramento interdum locus est,) excusatur à pœna, *II. F. 42.* potestque vindicare feudum ab emptore, in quem possessio est translata: cum emptio venditio ipso jure nulla sit, ob deficientem Domini consensum. Atque adeò regula, quæ in *L. 17. ff. de Evictionibus* habetur, officium hic perdit. Neque etiam emptor de jure tertii excipere potest allegareque, defectum istum ad jus Domini pertinere: quandoquidem actoris simul interest, ut feudum repetatur, ne, postquam cognovit rem esse feudalem, ratam habeat alienationem antea ex ignorantia factam, sicque & feudum, & pretium perdat. *Bitschius ad II. F. 26. p. 462.* Interim Vasallus venditor emptori bonæ fidei ad id, quod interest, obligatur. *II. F. 26. §. si Vasallus feudum. ubi Bitschius.* Si in mala fide fuit, id, quod interest, quidem non recuperabit; recipiet tamen pretium. Nam quamvis id alias plerique non admittant in allodialibus, nisi de ea re pactum adsit, ob *L. 27. C. de Evict. Franz. d. l. n. 267.* tamen hæc sententia hic non inveniet locum, cum res vendita ad venditorem redeat; quod alias re evicta à tertio non fit. *Fac. Arg. l. 32. ff. Si certum petat.*

XXX. Facimus cum illis, qui dubitantem Vasallum, an res sit feudalis, an allodialis, excusant à pœnâ. *a. II. F. 26. §. Vasallus feudum*: modo tamen probabiles dubitandi habeat causas. *a. L. 21. ff. de Usur. Ludov. c. 17. p. 351.*

XXXI. Ob insignem feudi deteriorationem, dolo vel lata culpa factam, læditur quoque Dominus, Vasallusque perdit feudum. *I. F. 21. 22. II. F. 8. II. F. 27. §. 5.* qua in re multum relinquendum est arbitrio Judicis. *Rosenthal, cap. 10. conclus. 23.* Quæ causa privationis etiam in feudo emto & oblato locum habet; uti patet ex illis, quæ dicta *Ex. IV. Tb. 9. 16.* Continentur autem quoque sub illa nimia sævitia in subditos. *C. Frid. §. 5. II. F. 27.* ob quam Vasallum quendam feudo excidisse, exemplo docet *Andler L. I. Dec. T. 6. P. III. n. 16. Conf. Ludov. C. 17. p. 345.* Ceterum cum pœna debeat esse conformis delicto, integro feudo non poterit privari Vasallus, si partem saltem feudi deteriore reddiderit *Struv. XV. 5. 1.*

XXXII. Sunt quædam delicta, quæ in alium quidem committuntur, quam Dominum aut personam ei conjunctam: eatenus tamen Dominum per indirectum tangunt, quatenus insignem perfidiam produnt, & ejusmodi delinquenti Dominus non potest tutò fidere; atque ideo pro feloniam à J. Feudali habentur. Quorsum pertinet parricidium *II. F. 24. §. fin. II. F. 37. I. F. 5. §. item si finit.* licet non ideò commissum, ut citius hæreditate sive feudo potiretur. *Struv. XV. 10. 2.* Crimen læsæ Majestatis *a. L. 5. C. ad L. Jul. Maj. art. 27. Cap. Leop. III.* Traditio seu proditio hominis, h. e. Convasalli, *C. si quis II. F. 37. Horromann. de F. c. 24. Ludov. C. 17. p. 368.* Aliud autem homicidium non inferre pœnam amissionis feudi ex *C. si quis II. F. 37. patet.* Referunt quidem vulgo huc incestum, illudque probare volunt ex *C. Regalia. ibi bona contrahentium incestas nuptias II. F. 56.* Sed quam parùm illatio ista ponderis habeat, cuilibet patet. Nec etiam quicquam efficit, quod incestuosus non possit stare honestè in Curia, cum non omnis causa, ex qua opinio Vasalli gravatur, feudum adimat. *II. F. 24. §. 20. illud enim. II. F. 37. Ludov. C. 17. p. 369.*

XXXIII. Illa quæ hæctenus enarravimus, ad facta commissa

missiva pertinent: agendum etiam jam est paucis de factis omissivis. Quorsum pertinet denegatio servitorum sine justa causa *I. F. 21. Exerc. XV. Tb. 7. seq.* item desertio Domini non mortui, nec ad mortem vulnerati in acie vel alio periculo *I. F. 5. Vultej. II. F. 11. n. 19.* licet nullum periculum Domino inde contigerit. *Schrader. P. VI. C. 6. n. 74.* Excusatur tamen Vasallus, si probabiliter existimaverit Dominum esse mortuum, aut lethaliter vulneratum, vel ipse vulneratus. *Ant. Diss. XI. Tb. 8. L. B.* Interim si exercitus Domini adhuc in conflictu sit, nec mortuo Domino pugnam Vasallo licet deserere, cum successoris causa vel Reip. agatur. *Conf. Ludov. C. 18. p. 372. Diss. XXII. Sub J. D. Stryk. habita de Vasallo desertore. V. III*

XXXIV. Si substitutus hac parte peccet, feudo non poterit privari Vasallus, praesertim cum invito Domino substitutus ille non potuerit obtrudi. Vid. supra *Ex. XV. Tb. 10. Kobl. de Servit. Feud. P. ult. 179.*

XXXV. Si Vasallus à Domino lethaliter vulnerato exoratus, illum occiderit, impunè quidem id non facit. *C. IX. Caus. 23. qv. 5.* dubitamus tamen, utrum feudo ideò privari possit cum descendantibus?

XXXVI. Vasalli obligatio magna licet sit, prout supra fuit dictum *Exerc. XI. Tb. 37.* tanta tamen non est, ut ideo teneatur vitam Domini praeferre sui ipsius vitae. Nam ordinata charitas incipit à se ipsa: nec praesumitur, Vasallum, qui intuitu rei obligavit sese, vitam directò anteposuisse Domini, eoque extendisse promissionem. *Schrader. P. VI. C. 6. num. 36. Rosentb. C. X. concl. 16. n. 20.* Nec malè argumentum à libertò hoc casu petitur ex *L. 5. §. pen. ff. de Agnoscendis & alendis liberis.* Alia ratio est subditi intuitu Principis, de qua re videatur *Grotius L. II. c. 25. ibiq. Ziegl.*

XXXVII. De feloniam commissa, quando Vasallus Dominum captivum redimere noluit, actum fuit supra *Exerc. XV. Tb. 23.* De omissa verò investituræ renovatione integrè *Exerc. XIV.*

XXXVIII. Multi sunt, qui putant, omnes causas exheredationis inferre amissionem feudi, quorum sententiam confirmari videtur

videtur ex *C. pen. II. F. 24. v. Sed prædictis modis*. Alii illas causas huc trahunt, quibus matrimonia solvuntur. Atque ex eodem loco stabilire conantur sententiam. Fatemur, si quis verba obiter inspiciat textus, ejusmodi sensum ea ferre videri posse. Verum si paulo penitus indagemus sensum, apparet, Feudistam hoc voluisse: modis prædictis, nam antea de causis amissionis Feudi egerat, Feudum debere amitti, æquitati seu rationi civili & naturali convenire: quam rationem illum facile assequi & intelligere posse putat, qui cogitat & scrutatur constitutiones illas, quibus agitur de exhæredatione, solutione matrimonii, & revocatione donationis, quippe quæ etiam ob certas & similes causas contingunt. Interim regulam inde struere animus non fuit Feudistæ. Ceterum non negamus plures ob causas, similes vel majores, quam quæ diserte in *J. Feudali expressæ*, excidere posse Vasallum Feudo, quam omnem tamen rem arbitrio boni Judicis relinquit Feudista *d. l. V. Sed quia natura. Menoch. A. I. Q. C. 167*. Exempla habet *Ros. cap. 10. cap. 15. seqq.* veluti perjurium erga Dominum commissum.

XXXIX. Felonia commissa, Feudo Vasallus non ipso jure privatur, sed prævia causæ cognitione *I. F. 21. ibi: sine cognita culpa*, quam sententia sequi debet *I. F. 22. ibi: damnetur*. Hanc sententiam non declaratoriam, sed privatoriam plurimi esse volunt. *Struv. XV. n. 3. Ros. c. X. c. 41*. A quibus non dissentimus, cum *J. Feudali* Domino non realis, sed personalis actio conditio scil. causa data &c. detur. *I. F. 21.* quam etiam locum habere putamus, si ad Agnatum Feudum ob delictum devolvatur. Facit pro illa sententia argumentum ex *L. f. C. de Revoc. Don. petitum*. Probata verò felonia, cum Feudo fructus à tempore felonix commissæ perceptos, restituendos quoque esse existimamus. *a. L. 38. ff. de Usur. Clud. de Cond. dat. caus. non fet. c. 5. n. 83. Struv. d. l. ubi D. Lyncker*. Atque sic hoc casu parum interest, utrum sententiã istam privatoriam, an declaratoriam dicamus: interest tamen ratione remissionis; de qua re mox dicemus.

XL. Unus vero casus est, ubi ipso jure (non exclusâ tamen

men

men sententia declaratoria) Feudum ad Dominum revertitur, si nempe alienatum sine Domini consensu, *II. F. 51. ibi: libere revertatur.* Quæ exceptio in casibus non exceptis firmat regulam. Rationem autem hujus rei hanc esse dicunt, quod Vasallus alienans, quantum in ipso est, omne Jus suum a se dimittit, & id agit, ut in alium transeat, ad quem tamen, cum Jus repugnet, transire non potest. Qua de causa necesse est, ut utile illud dominium ad Dominum redeat, & cum directo dominio consolidetur. *Conf. Vinnius ad §. fin. Inst. de Usufr.* Uti tamen dictum, declaratoria sententia opus est, cum Vasallus causas forte habere potuerit, ob quas bona fide sine dolo ab ipso fuit facta alienatio.

XLI. Feudum novum, in quo agnati nullum Jus habent ob feloniam commissam, jure communi Feudali ad Dominum indistinctè devolvitur. *a. II. F. 24. §. 3.* Atque adeò nec ad filios, aliosque descendentes transmittitur ejusmodi Feudum, *II. F. 31. II. F. 26. Rosenth. C. XI. concl. 1. n. 1.* Quod si tamen Dominus filios æquè principaliter simul cum patre investiverit, [quod tamen ex eo non satis probatur, *si pro se & filiis feudum datum*] & sic illis ex propria persona jus quæsitum, vel discretè intuitu filiorum concessum, tunc procul dubio patris delictum filiis non obest. *Rosenth. d. l. H. Pist. L. 2. qv. 16. Carpz. III. 27. 6.*

XLII. Quoad feudum antiquum interest, an feloniam in Dominum commissa vel directò vel indirectò, an verò in extraneum saltem. Priori casu feudum ad Dominum redit, exclusis Vasalli omnibus descendentes, & tam diu quidem, quam diu delinquens & illius descendentes supersunt. Illis enim extinctis Feudum ad agnatos pertinet, quibus delinquendo Vasallus nocere non potuit. Hanc sententiam probari putamus ex *C. fin. II. F. 24. II. F. 31. I. F. 8. §. E contrario verò eorum agnatorum. II. F. 39, 40. §. f. 45. H. Pist. L. II. qv. 15. 16. Struv. XV. 14.* Posteriori casu, si scilicet in extraneum delictum commissum, v. g. parricidium, Feudum, exclusis filiis, statim ad agnatos devolvitur *II. F. 31. & 37. H. Pistor. d. qv. 15. num. 1. Exceptio est in O. C. P. II. T. 9. §. 2.* Illius rei differentiam

tiam *Struv. d. l.* supeditabit. Hæc ita locum inveniunt secundum Jus commune. Jure Saxonico paulo aliter res se habet. Et primò quidem, si de filiis quæstio, tum quoad feudum novum, tum quoad antiquum ratione filiorum eadem, quæ Juris communis decisio, locum inveniet, ea nempe, quæ descendentibus Vasalli jus, quod sperare poterant, in feudo aufert. *Torgauisch Ausschreiben de an. 1583. Welcher Gestalt die Agnaten/ s. dieweil aber dennoch.* In Saxonia tamen Electorali quoad feudum antiquum eo casu, si in extraneum commissa feloniam, filiis id non nocet. *Const. XXVII. P. III.* Quod extra Electoratum etiam observari scribit *Schulz. Syn. Feud. cap. II. num. 71.*

XLII. Quoad agnatos, quæ tales, disputatio est frustranea, quippe qui, uti sæpius dictum, nullum Jus succedendi in Saxonia habent, quando non sunt simultaneè investiti. Deficientibus itaque simultaneè investitis, sive agnatis, sive extraneis, cessabit quoque quæstio. Existentibus verò illis cum jure proprio gaudeant, non potuit delinquendo obesse Vasallus. Qua de causa, quoad simultaneè investitos, nihil interest inter Feudum antiquum & novum. Illa tamen distinctio, qua delictum in personam Domini, & in extraneum commissum discernitur, nullibi J. Sax. est rejecta. Quamobrem & secundum istam in Saxonia Jus esse dicendum arbitramur. Quod si itaque in personam Domini delictum commissum, feudum tam diu ad Dominum redire, quamdiu delinquens & ejus descendentes supersunt; his verò extinctis, ad simultaneè investitos secundum legem investituræ devolvi existimamus. *Carpz. III. 27. 8.* Excipitur tamen casus alienationis illicitæ in Constitutione *Elect. 48. P. II. Carpz. d. l. def. 14.* quo contingente, licet delictum in Dominum commissum, tamen ad simultaneè investitum Feudum statim devolutum censetur, ita ut statim revocationi sit locus. Quod si verò in extraneum delictum commissum, ad simultaneè investitum statim feudum pervenit. Quod & probat *Const. XXVII. P. III. ubi Moller. & Carpz. d. 8.*

XLIV.

XLIV. Cessat felonix pœna, si quando Dominus illam expressè remiserit *II. F. 31.* Nulli tamen dubitamus, quin remissio illa & tacitè fieri possit. Quod exempli causa fit, quando Dominus non conquestus fuerit de feloniam, & vel ipse, vel Vasallus mortuus *a. L. 7. C. de revot. donat. §. 1. Inst. de perp. & temp. ac. j. II. F. 24. §. fin. verb. ultionem. Rosentb. c. 10. concl. 40. num. 1. H. Pist. L. 1. q. 35.* Non putamus tamen hoc eo casu procedere, quando ipso jure feudum ad Dominum redit facta alienatione. *Borcholt. de F. c. 8. n. 155.* Interim non negamus & hoc & reliquis casibus triginta annorum spacio lapsa, feloniam tolli. *Rosentb. c. 10. Concl. 39-38.*

XLV. Quod si verò quæras utrum invitis agnatis remissio felonix fieri possit, facile te expedire poteris, si modo distingvas distingvenda. Ubi enim primo agnatis nulla spes est succedendi, uti id regulariter fit Jure communi in Feudo novo: ibi nullum eos habere jus contradicendi, vel dissentiendi, palam est. Quando vero vel statim vel aliquando succedere possunt, interest, an feloniam in Dominum commissa, an in extraneum. Priori casu, cum successio ad agnatos non pertineat, nisi extinctis delinquente, & ejus descenditibus; nullum dubium, quin frustraneus sit illorum assensus, vel dissensus, cum Domino favori suo renunciare liceat, atque sive id fiat, sive non, nihil agnatorum interfit: ad quos Feudum non pertinet, nisi illis deficientibus, qui vel deliquere, vel ex delinquentibus nati *Carpz. III. 27. 13. L. VI. R. 84. Conf. d. Ex. XIV. Tb. XVIII.* Posteriori casu distingvendum: utrum sententia privatoria lata, necne: hoc casu remissio locum habebit, non verò illo, quia per sententiã jus quæsitum est Agnatis. Atque ita intelligi debet textus *II F. 31. ibi: si non adsint. Struv. XV 12. 19. vid. supra.* Quid in Saxonia obtineat, ex his facile judicari poterit.

XLVI. Quia vero in Electoratu Sax. juxta Constitutionem XLVIII. P. II. Feudum in casu alienationis ad simultaneè investitos pertinet statim, atque tali casu feudum ipso jure amittitur, prout supra fuit dictum: existimamus,

C

nec

nec ante, nec post sententiam declaratoriam remittere posse Dominum hanc feloniam.

XLVI. Dominum ex iisdem causis h.e. ob eadem delicta in Vasallum, seu in extraneum commissa dominio directo privari, illudque indistinctè ad Vasallum devolvi, constans est Dd. opinio, quam optime probare solent ex *II. F. 26. c. Domino*: quæ tamen cum grano salis accipienda, eodemque modo, quo dictum fuit supra *Exerc. XI. Th. 35. Exerc. XV. Th. 5. & 6. Kobl. de Servit. Feud. P. II. n. 121.* Potentia vero Dominorum efficit; ut rarissime ejusmodi feloniam vindicari soleat. Non planè tamen exempla deesse testatur *Everh. in Loc. topic. in loco correlat. n. 1. Müller P. I. const. 27. n. 8. Bitsch. II. F. 26. C. Domino p. 495. Conf. Knipschild. de oblig. Domino erga Vasallum C. 2. & III. §. 45.* Ceterum illud, quod dictum est, indistinctè dominium directum Vasallo ob feloniam à Domino commissam cedere ita verum est, si tit. allodiali Dominus dominium directum habuerit. *Baro Schenck. ad d. C. Domino committente n. 1. Rosenth. C. XI. concl. 20. num. 3.* Quod si autem Dominus delinquens dominium suum directum ab alio titulo feudali acceperit; tunc Vasallus quidem ab obligatione, quo Domino suo proximo adstringitur, liberatur, sed tamen Domino Domini, vel hujusagnatis nihil decedit, *a. Prin. Quid ergo. II. F. 8.*

Clarus §. Feud. qu. 72. Knipschild. d. l. c. 3. n. 45.




60 A

56

ULB Halle 3
002 635 348







53. 12

v.
SIS FEUDALIS

simaseptima 1695

QUIBUS
FEUDA-
R, ET DELI-
ALIBUS.

DE
CO HORNIO,
atq; Collegiorum
unt, Adessore,

C. XCV.
Ctorum
ndet

HABERSTROH;

s.
ODERITSCHIANIS.

